


Quæ sit maxima differentia inter æqualem apparen-  
temq; præcessionem æquinoctiorū. Cap. VII.



Edijs motibus sic expositis, inquirendum iam est, quanta sit inter æqualem æquinoctiorum apparen-  
temq; motum maxima differentia, siue dimetiens parui circuli per quẽ circuit anomalix motus. Hoc enim cognito facile erit quascunq; alias ipsorū motuū differen-  
tias discernere. Quoniam igitur, ut superius recitatum est, inter primam Timocharis & Ptolemæi sub secundo Antonini anno fuerunt ccccxxii. anni: in quo tempore medius motus est partium vi, apparēs autem erat part. iiii. scrup. xx. horum dif-  
ferentia pars una, scrup. xl. Anomalix quoq; duplicis motus part. xc. scrup. xxxv. Visum est etiam in medio huius tempo-  
ris uel circiter apparentem motum scopum maximæ tarditatis attigisse, in quo necesse est ipsum cum medio congruere motu, atq; in eadem circulorum sectione fuisse uerum ac medium æq-



noctium. Quapropter facta mo-  
tus & temporis bifariam distri-  
butione, erunt utrobicq; diuersi  
& æqualis motus differētiæ, de-  
xtantes unius gradus, qđ hinc  
inde anomalaris circuli circum-  
ferētię sub partibus xl v. scrup.  
xvii. s. compræhendunt. Quib-  
us sic constitutis, esto zodiaci  
circumferentia ABC, æquinocti-  
alis medius DBE, & B sectio sit  
media æquinoctiorū apparen-  
tium, siue Arietis, siue Libræ, &  
per polos ipsius DBE, descendat BF. Assumantur autem in ABC  
circumferentiæ utrobicq; æquales BI, BK per dextantes graduū,  
ut sit tota IBK unius partis & scrup. xl. Inducantur etiam duæ  
circumferentiæ circulorum æquinoctialium apparentium IG,  
& HK ad angulos rectos ipsi FB. Dico aut ad angulos rectos, cū  
tamen